

sia, capite xxv: « Nihil omnino virtutem esse affirmaverim nisi summum amorem Dei. » Ergo cum loquitur Concilium de bonis operibus meritoriis plane loquitur de illis, quæ de charitatis radice consurgunt.

XIII. Denique fundamentum hujus sententiæ sumitur ex ipsa intrinseca ratione meriti, quæ proportionem, et valorem exigit in opere intrinsecum, et ita proportionatum cum præmio ut non indigeat extrinseco favore, et acceptatione, ut meritorius reddatur, sed opus liberum nulla intrinseca relatione relatum ad finem supernaturalem nullam habet proportionem cum tali præmio, si quidem valor illius est diversi ordinis a valore præmii; ergo nullam habet rationem meriti intrinsece, quod solum est verum meritum sine tali relatione.

XIV. Confirmatur, quia ideo non possumus per opera naturalis ordinis facta sine auxilio gratiæ per Christum mereri vitam æternam, qui carent intrinseca proportione, et valore requisito ad præmium, sed etiam si fiant per auxilium ordinis naturalis datum per Christum sine ulla charitatis ordinatione, talia opera manent destituta intrinseco valore, et proportione ad præmium: ergo non sunt meritoria. Minor probatur, quia auxilium ordinis naturalis ejusdem speciei, et valoris intrinseci manet sive detur per Christum, sive non, sicut oculus restitutus a Deo per miraculum, vel productus per generationem est ejusdem intrinsecæ perfectionis, et speciei; ergo quod detur per Christum non ponit aliquid supernaturalitatis intrinsecæ in ipso opere, quia intrinseca supernaturalitas, et valor debet convenire operi in aliquo genere causæ formalis, dari autem per Christum solum dicit causam efficientem.

XV. Nec sufficit dicere, quod ordinatur a Deo ad vitam æternam, ut mereatur illam; nam talis ordinatio, vel est debita ipsi operi, et juxta proportionem intrinsecam ejus, vel non, sed potest jure tolli ab illo. Si primum, supponit in natura operis conformitatem, et proportionem antecedenter ad illam ordinationem; ergo non debet esse pure naturale illud opus, sed aliquam elevationem, et relationem intrinsecam habere ad finem supernaturalem, quia sine illa nullus est valor intrinsecus in opere: si secundum, ergo illud opus solum habet valorem extrinsecum ratione favoris, et acceptationis Dei, atque adeo intrinsece non debetur illi præmium, quod est simpliciter non esse meritum, sed secundum quid, et ab extrinseco.

XVI. Ex dictis manent soluta argumenta quæ ex auctoritate formabantur, et ad id quod ultimo dicitur ex Concilio de operibus satisfactoriis. Respondetur, quod dato quod ad satisfactionem non requiratur relatio, et motivum charitatis (quod non est certum, cum potius dicat Concilium per talia opera nos effici conformes Christo, quod sine charitate non fit) tamen ratio meriti id exigit, quia non exigit primo, et per se solutionem pœnæ ut satisfactio, sed obsequium liberum secundum actum bonum erga Deum, atque adeo ex debito fine procedens.

XVII. Ad ultimum argumentum ex ratione respondetur, quod relatio, seu motivum charitatis est formalis ratio operis meritorii, tam in operibus virtutum infusarum, quam acquisitarum (licet in hoc sit diversitas opinionum) sed cum hac differentia quod in virtutibus per se infusis motivum charitatis est ipsius connaturale, et proprium, quia cum virtutes infusæ solum inclinent

ad opera supernaturalia per se, et connaturaliter petunt derivari ab intentione finis supernaturalis, sive iste finis ametur, et intendatur ab ipso charitatis, sive aliquo auxilio supplente ejus vices, sive fiat efficaciter diligendo Deum super omnia, sive ineffaciter, et ad modum concupiscentiæ, sicut actus fidei, et spei in peccatore, in quo tamen meritorii non sunt. At vero opera virtutis acquisitæ cum ex se nihil habeant supernaturalia, intentio finis supernaturalis non est ipsis propria et debita, et sic tota ratio merendi ita dimanat a charitate quod antecedenter ad ejus ordinationem, nec radicaliter, vel connaturaliter est illis debita ratio meriti, nam etiam si quis patiat martyrrium, aut omnes facultates suas distribuatur pauperibus, quæ sunt opera excellentissima, sine charitate tamen nihil sunt, ut dicitur 1 ad Corinth. xviii, unde patres citati, et D. Thomas artic. iv ad tertium dicunt, quod radix meriti debet esse charitas, ipsis autem operibus bonis ex genere suo solum correspondet præmium accidentale procedendo a charitate, ut S. Thomas sæpe docet, et videri potest 1 parte, quæstione xlv, articulo iv, et in iv, distinctione xlix, quæstione i, articulo iv, quæstiunc. iv ad tertium. Quod vero præcipit Apostolus: *Ut abundemus in omni opere bono*, non concludit quod omne opus bonum ex se habeat præmium essenziale, sed ex charitate, a qua habet abundantiam, si quidem sine charitate est vacuum, et nihil.

XVIII. Ad confirmationem respondetur, nullum opus fraudari mercede sua, quia si non sit factum a charitate nihil ei debetur. Nec est existimandum communiter fideles justificados operari sine relatione ista charitatis, quia nullus est qui saltem virtualiter nolit omnia opera

bona facere propter Deum, nec enim ad hoc requiritur, ut metaphysico modo sciat relationem charitatis ad finem, sed sufficit quod sciat præceptum diligendi Deum super omnia, quod nulli fidelium ignotum est, sic enim cognoscit omnia esse diligenda propter Deum, eique subjicienda. Ad ultimum respondetur, quod observatio legis non includit sola opera virtutum, sed etiam ipsius charitatis, quod est maximum, et primum mandatum in lege, unde qui legem servat etiam hoc servare debet, vel virtualiter, vel formaliter.

XIX. Restat secundum punctum explicare, scilicet quæ relatio charitatis sufficiat ut opera sint meritoria. Et non loquimur de actuali, quam necessaria non esse omnes fatentur, cum constet actum posse ordinari in finem, etiam si actualis cogitatio de fine cesset. Aliqui existimant sufficere generalem intentionem quando aliquis primo justificatus est, ut deinceps maneat in omnibus operibus etiam in tota vita: alii vero quod solum illæ operationes virtualiter moventur a fine quæ retinent aliquam connexionem cum ipso, et ad illum conducunt, sicut in eo qui statuit proficisci Romam illa dicentur virtualiter ordinari ad finem quæ ad talem perfectionem conducunt, alia vero quæ interim agit homo a tali fine determinatus, non dicitur agere ex illo fine etiam virtualiter. Ita pater Lorca hic disputatione xlviii, qui primam sententiam rejicit, quia si sufficeret illa generalis intentio sequeretur in homine nullum posse dari actum otiosum dum est justificatus, quia nullus caret debito fine hoc ipso quod virtualiter manet relatus ex primo actu charitatis per totam vitam. Deinde, quia similiter omnia opera infidelium, vel peccatorum etiam essent peccata, quia

sufficit primus actus intentionis, ut reliqua opera referantur in illum finem, hoc autem est maximum absurdum, ergo etiam unicus actus charitatis non sufficiet pro omnibus operibus totius vitæ.

XX. Res ista practice esset satis incerta, et in sacramentis ministrandis si multo tempore interrumpatur intentio non dicitur perseverare moraliter, ut valde conficiatur sacramentum, alioquin unica intentio celebrandi, vel confitendi duraret per totam vitam, etiamsi nunquam amplius cogitaretur de sacramentis conficiendis.

XXI. Cæterum doctrina patris Loræ contra ipsum retorqueri potest, nam si omnia illa virtualiter referuntur in finem, quæ cum illo habent connexionem, ut omnia quæ possunt conducere ad perfectionem virtualiter moventur ab intentione proficiscendi; ergo similiter omnia quæ habent connexionem cum fine charitatis virtualiter movebuntur ab illa quamdiu non retractatur talis intentio, sed iste finis charitatis propter suam nobilitatem, et universalitatem complectitur omnia opera totius vitæ, sicut profectio in Romam omnem præparationem itineris; ergo ab unica intentione possunt omnia illa ordinari, quia habent connexionem cum illa, et sicut longitudo temporis, quod potest consumi in aliquo itinere non impedit virtualem ejus ordinationem in mediis propter connexionem cum fine, ita nec longitudo hujus vitæ impedit virtualem charitatis motionem in omnibus ejus operibus. Certe D. Thomas sine ulla restrictione inquit in quæstione secunda de veritate, articulo xi ad secundum: « Quod cum aliquis se ipsum ordinat in Deum in omnibus quæ propter ipsum facit, manet virtute intentio ultimi finis, qui Deus est. Unde in omnibus mereri potest si charitatem

habeat. » Et similia fere dicit in ii, dist. xl, quæst. i, art. v ad tertium.

XXII. Nec urgent instantiæ patris Loræ. Nam de actu otioso dicimus, quod est incapax virtualis relationis charitatis, quia peccatum veniale est, nec actus ex sua specie indifferens potest ex sola virtuali finis relatione reddi bonus, quia oportet ut transeat in conditionem objecti illud quod actum indifferentem bonificat, virtualis autem determinatio finis non induit rationem objecti, sed semper manet in præcisa circumstantia finis. De actibus vero infidelium, vel peccatorum dicimus, quod non vitiantur ex primo peccato omnia opera, quia finis peccati non semper habet intentionem referendi omnia sua in illum finem, sicut facit charitas in Deum, si quis autem haberet ita perversam intentionem, quod omnia sua vellet referre in malum finem, vel in idolum, eadem esset ratio, ac de intentione charitatis.

XXIII. Circa intentionem vero sacramentorum non est locus agere hic, sed breviter insinuo differentiam inter ipsam, et intentionem merendi, quia cum sacramenta sint signa practica operativa hic et nunc, et designatio materiæ, et formæ in individuo dependeat a ministro, non sufficit intentio generalis volendi conficere sacramenta, aut aliquod eorum in communi, et in confuso, sed oportet aliquod in particulari determinari: verbi gratia: Volo tali die celebrare, vel confiteri, vel matrimonium contrahere, et postquam determinate intendet conficere sacramentum durante tali intentione determinata, et in singulari, conficiet, licet quando actu accedit ad conficiendum non cogitet de illo. Ex sola vero generali intentione non designando materiam, et formam, aut tempus, vel individualem aliquam durationem conficien-

di, si postea nihil cogitans dicat, videtur fortuito dicere, et a casu, et sic ad minus erit dubia intentio, et est probabilius quod invalida.

XXIV. Restat in calce hujus articuli, inquirere an saltem opera bona moralia non ordinata a charitate mereantur de congruo vitam æternam: sic enim videtur insinuare D. Thomas, dum dicit articulo tertio, quod si considerentur bona opera quatenus sunt a libero arbitrio, non condignitas erit, sed congruitas propter æqualitatem proportionis, congruum est enim quod Deus operanti secundum suam virtutem retribuatur secundum suam magnificentiam.

XXV. Respondetur tamen quod meritum de congruo dupliciter sumitur uno modo congruitate fundata in ipso opere, ut habente tamen aliquod jus ad præmium, si non adæquationis, convenientiæ saltem: alio modo congruitate fundata in Dei magnificentia, et liberalitate, quæ attendit illam proportionem quam dicit D. Thomas. Dicimus ergo quod congruitas primo modo non intervenit in opere mere naturali, quia de se est ordinis inferioris ad supernaturalia, et ideo non fundat jus aliquod respectu illorum, cum nullam habeat proportionem valoris, seu dignitatis, unde nec gradus gloriæ ei correspondet: secundo vero modo dicit D. Thomas mereri non quidem de congruo (hoc enim nusquam dixit) sed esse sibi congruitatem quamdam, quia scilicet non est congruitas valoris alicujus in opere, sed est congruitas solius proportionis, quod a D. Thoma explicatur in hoc quod quia iste operatur secundum suam virtutem naturalem, etsi nullius valoris supernaturalis, Deus etiam secundum suam magnificentiam operatur, quod est proportio operantium, sed non operum.

SEQUITUR EXPOSITIO LITTERÆ D.
THOMÆ.

In articulo quinto, inquiret utrum homo possit sibi mereri primam gratiam. Respondet duplici conclusione. Prima conclusio: Prima gratia neque secundum rationem gratuiti doni, neque secundum naturam ipsius rei, quæ donatur potest cadere sub merito proprio, ante quam quis habeat gratiam.

Secunda conclusio: Gratia semel habita non potest cadere sub merito, quia merces est terminus operis, gratia principium.

In articulo sexto, inquiret utrum homo possit mereri alteri primam gratiam. Respondet duplici conclusione. Prima: Merito condigno nullus potest, nisi solus Christus mereri alteri primam gratiam.

Secunda conclusio: Merito congruo potest aliquis mereri alteri primam gratiam congruitate secundum amicitiam proportionem.

In articulo septimo, inquiret utrum homo possit sibi mereri reparationem post lapsum. Respondet unica conclusione: Neque merito de condigno, nec de congruo potest aliquis mereri sibi reparationem post lapsum quia ipso peccato divinam interrumpit motionem, qui a gratia ordinatur ad præmium.

In articulo octavo, inquiret utrum homo possit mereri gratiæ, vel charitatis augmentum. Respondet duplici conclusione. Prima: Augmentum gratiæ cadit sub merito de condigno.

Secunda conclusio ad tertium: Sicut vita æterna non datur statim cum quis illam meretur, sed solum suo tempore, ita nec statim gratia augetur, sed suo tempore, scilicet

cum quis fuerit sufficienter dispositus ad augmentum gratiæ.

In articulo nono, inquit utrum homo possit perseverantiam mereri. Respondet unica conclusione: Perseverantia viæ non cadit sub merito, quia dependet solum ex motione divina, quæ est principium omnis meriti.

In articulo decimo, inquit utrum temporalia bona cadant sub merito. Respondet duplici conclusione. Prima conclusio: Si considerentur bona temporalia ut conducentia ad vitam æternam consequendam, simpliciter cadunt sub merito.

Secunda conclusio: Si secundum se considerentur non simpliciter sub merito cadunt; sed secundum quid, quia non sunt bona simpliciter, sed secundum quid.

DISPUTATIO XXXI.

DE OBJECTO MERITI.

Hæc est ultima pars hujus materiæ in qua D. Thomas de his agit, quæ sub merito cadunt, quæ nos objectum meriti appellamus, relinquit autem probatum in articulo tertio. Quod homo potest mereri per gratiam vitam æternam, unde de hac non erat amplius disputandum, sed de aliis objectis supernaturalibus in se, ut sunt prima gratia, sive actualis, sive habitualis, augmentum, aut progressus in gratia, ac denique perseverantia in ipsa, quod est terminus gratiæ in hac via.

ARTICULUS I.

Utrum sine exceptione sit verum quod prima gratia non possit cadere sub merito?

I. Prima gratia potest sumi tripliciter. Primo, pro gratia prima actuali, seu auxiliante: secundo, pro prima gratia habitualis sanctificante: tertio, pro prima gratia radicali, id est, pro ipsa incarnatione, quæ est prima radix, et principium omnis meriti. Et potest inquiri, an aliqua gratia ex istis cadat sub merito de condigno, vel de congruo, saltem mediante alio principio dante valorem actibus, sicut respectu gratiæ incarnationis potest inquiri, an mediante gratia habituali existente in Christo, vel in sanctis patribus possit dari meritum saltem de congruo respectu ipsius incarnationis, quæ est radix, et principium omnis gratiæ. Sed hoc proprium habet locum in III part. quæst. II, art. XI, ideoque de illo non agemus hic, inter disputandum de prima gratia aliquid attingemus. Loquendo ergo de prima gratia actuali in confesso est apud omnes, nullo modo posse cadere sub meritum, nec de condigno, nec de congruo, ut tradi solet etiam prima parte in materia de prædestinatione, dum fatentur theologi non posse dari ex parte nostra causam totius prædestinationis, quia non potest dari causa primi effectus illius, id est, primæ vocationis, et excitationis ad gratiam, quæ est gratia actualis, quidquid enim antecedit primam vocationem est opus mere naturale, si quidem prima illa vocatio est motus ad fidem supernaturalem; inde enim sumit exordium nostra justificatio, ut docet Concilium Tridentinum sessione VI, capite V. Quidquid autem antecedit fidem supernaturalem, et pri-

mam excitationem ad illam non potest esse supernaturale, alioquin non esset ille primus motus in ordine supernaturali, quidquid autem naturalis ordinis est, et non supernaturalis, non habet aliquam proportionem, et multo minus condignitatem respectu gratiæ supernaturalis, et sic nullum meritum præcedit primam gratiam, quod etiam contra Semipelagianos determinatum est ab Ecclesia, scilicet nihil ex parte nostra præcedere, quo mereamur ipsum initium fidei, et gratiæ, ut in Concilio secundo Arausicano, canone VI et VIII et ultimo definitur, et late tradit Augustinus in libro de prædestinatione, capite V, et communiter theologi in materia de prædestinatione.

II. Sed inquires, an sit eadem ratio de prima gratia actuali, quando aliquis jam fidelis vocatur ad penitentiam, et conversionem ad Deum, non autem ad fidem. Non enim videtur eadem ratio, quia fideles peccatores retinent habitum fidei et spei, qui cum sint habitus infusi connaturaliter petunt aliquem motum ordinis supernaturalis, sicut enim omni causæ secundæ debetur debito connaturalitatis aliquis concursus proportionatus, sic habitibus supernaturalibus in nobis remanentibus aliquis concursus, et exercitatio ejusdem supernaturalis ordinis debetur, et sic prima excitatio peccatoris per motum fidei vel spei, ad justificationem non videtur esse omnino gratuita in eo, qui fidelis est, semper enim habet congruitatem majorem ille qui habet habitum fidei et spei, ut excitetur ad actus istarum virtutum, quam infideles qui utroque habitu carent.

III. Respondetur, quod si loquamur de prima gratia efficaciter excitante ad justificationem nullo modo potest cadere sub merito etiam

de congruo in peccatore fideli, quia in statu peccati est aversus a Deo, et inimicus illius, et sic dignus carere omni auxilio gratiæ, alias peccatori daretur excitatio efficax in præmium, et consequenter ipsa justificatio, eo modo quo meritum de congruo habet præmium, et jus aliquod ad id quod sibi retribuitur, quod omnino stare non potest, non enim salvantur verba Apostoli, quod justificamur gratis per gratiam ipsius. Quod explicans Concilium Tridentinum sessione VI, cap. VIII dicit ideo nos gratis justificari, quia nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera justificationis gratiam promerentur; ergo multo minus prima gratia actualis, quæ est initium justificationis, potest cadere sub meritum, ita quod non simpliciter gratis justificemur, qui enim de congruo saltem promeretur ipsam gratiam, sine dubio non gratis accipit illam licet non de condigno, imo cum ipse peccator dum manet in statu peccati abutatur divinis inspirationibus in ordine ad conversionem suam, quantumcumque eliciat actus fidei vel spei, quia non elicit illos sicut oportet ad salutem, hoc ipso non habet congruitatem, et proportionem aliquam, ut detur illi auxilium efficaciter convertens illum a statu peccati, et a tali abusu inspirationum divinarum.

IV. Si autem in peccatore fideli loquamur, non de excitatione ad conversionem, sed solum ad habendum actum fidei vel spei, manifestum est non præcedere aliquod meritum, etiam de congruo respectu talis excitationis, quia meritum non consistit in habitu, sed in actu; ante excitationem autem ad fidem nullus datur actus supernaturalis, quia primus actus supernaturalis, vel in ordine supernaturali debet pertinere ad fidem et cognitionem,